



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

559. An, & qualiter Beneficiatus teneatur solvere pensiones decursas inexactus Pensionario mortuo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Respondeo, responſionē pendere ex eo, an ipſe titularis obligatus fuiſſet illos tres annos elapſos ſolvere, ſi ei præſentata fuiſſent dictæ literæ in fine tertii anni. Ad quod affirmativè reſponderet Corrad. in *pr. benef. l. 5. c. 7. n. 24.* teneri illum in conſcientia ad hoc; eò quòd clauſula in literis apponi ſolita: *poſquam tibi litera præſentata fuerint*; non ſuſpendat obligationem, ſed ſolutionem tantum & actionem; quapropter tenebitur ſucceſſor penſiones illas inſolutas ſolvere, intellige obligatione illà ſubſidiarià, ſi hæredes defuncti non ſint ſolvendo.

Quæſtio 559. An, & qualiter beneficiatus teneatur ſolvere penſiones decurſas inexactas penſionario mortuo?

Reſpondeo primò: Camerale prætere, & de factò praticare, ut ad inſtar fructuum inexactorum beneficii, penſiones quoque non exactæ à penſionario defuncto cedant ſub ſpolio, & ſpectent ad Cameram, reſert Card. de Luc. de *penſ. d. 28. n. 3.* Verùm quidquid ſit de hoc,

2. Reſpondeo ſecundò: Quamvis penſio extingatur morte penſionarii, & non transmittatur actio ad hæredes penſionarii ad penſiones non decurſas exigendas impoſterum: quamvis etiam fructus beneficiorum non exacti non tranſeant ad hæredes ex teſtamento vel ab inteſtato, ſed hi remaneant in dominio Eccleſiæ, ut Tond. *qq. benef. p. 1. 22. n. 2.* penſiones tamen non exactæ ad hæredes tranſeunt, & eis debentur, faciendâque eſt inter eas & fructus beneficii hac in parte differentia, Tond. *loc. cit.* citans Mareſchot *l. 2. var. reſol. c. 2.* & Gig. de *penſ. q. 52.* Et idem ſupponit Lott. *l. 1. q. 44. n. 16.* ubi, quòd transmittatur actio ad hæredes penſionarii pro rata fructuum perceptorum, ut *quæſt. ſeq.*

Quæſtio 560. An, & cui beneficiatus teneatur ſolvere penſiones, penſionario mortuo ante maturitatem termini, ſeu antequam adveniat dies penſionis ſolvendæ?

Reſpondeo: Solvenda per beneficiatum hæredibus penſionarii, vel alteri, qui in hoc ſuccedit, non præciſè pro rata temporis, quo vixit penſionarius, ſed pro rata fructuum, tempore, quo vixit penſionarius, perceptorum per beneficiatum ad inſtar ſimplicis uſufructus; ita ut, ſi penſio fuerit impoſita tam ſuper fructibus quàm distributionibus, attendi debeat quantum de fructibus perceperit, vel propter illorum maturitatem percipere debuerit, aut porerit poſſeſſor beneficii onerati penſione; ſimiliter & quantum ex aliis emolumentis & distributionibus, ſuper quibus penſio impoſita eſt & ad ratam, & proportionem illorum penſio hæredibus penſionarii ſit adjudicanda, nulla interim habitâ ratione ſeu curato ordine terminorum, quibus ſolvenda penſio, & an unus dici debeat anticipatus, alter poſticipatus, cum, quòd illi ſtarui ſolent, concernat ſolum commoditatem titularis, commodioremque, ut inquit Card. de Luc. *max citando loc. ſolutionem*, tam reſpectivè titularis quàm penſionarii, ut nimirum, nec hic exigere poſſit penſionis partem, antequam fructus colligantur, iſte alteram partem non teneatur ſolvere, niſi poſt fructus jam collectos, intellige, naturales, Unde ſi mortuus penſionarius eo tempore, quo poſſeſſor beneficii gra-

vati penſione perceperat jam omnes ſeu integros fructus, ſeu unius anni recollectionem, integra penſio debeat hæredibus defuncti, v. g. ſi penſio reſervata ſeu conſtituta 10. Maji, & penſionarius mortuus 25. Octob. quo jam recollecti fructus omnes in aliqua regione, debeat hæredibus totius anni penſio, & ſic quoque integer terminus ſolvendus erat feſto Nativitatis Domini. ſic econtra (quem caſum aſſert Tond. *loc. pauld poſt citando, n. 7.*) ſi penſio reſervata, v. g. 25. Octob. quo jam vindemia collecta, & penſionarius mortuus, v. g. 3. Julii, quo necdum collecta meſſis, non debeat hæredibus penſio, niſi pro rata fructuum perceptorum à die 25. Octob. ad 3. Julii (ſupponuntur enim alii anni præteriti terminari illà 25. Octob. jam ſoluti) quæ erit admodum exigua quantitas, dum fructus, ſuper quibus impoſita penſio, conſiſterent tantum in frumento & vino; ſi verò beneficium gravatum haberet quoque fructus aliquos civiles, puta locagia ædium &c. & ex his perceptum interea, pro rata hujus perceptionis à 25. Octob. ad 3. Julii debebitur portio penſionis hæredibus. Ita teneat Tond. *qq. benef. p. 1. c. 22. à n. 7.* citans Caccialup. de *penſ. q. 25.* Tuſc. *lit. P. conſul. 267. nu. 8. & 9.* Monald. *conſ. 107. per tot. &c.* ac dicens, hanc ſententiam ſequendam; cum eam tandem poſt longum examen ſecuta fuerit Rota apud Durand. *deſ. 448. per tot.* Idem Ventrigl. *ro. 2. annot. 11. §. 3. nu. 8.* citans Ricc. in *pr. p. 3. reſol. 268. n. 1. & 2.* Belleſ. *diſq. cleric. p. 1. cit. de bon. cleric. §. 18.* poſtquam idem Ventrigl. *n. 7.* præmiſiſſet, idem eſſe, dum beneficiatus quoque mortuus eſt, nempe tunc penſionem ſolvendam ab hæredibus defuncti titularis pro rata fructuum perceptorum, nempe tum à dictis hæredibus, tum à ſucceſſore hæredibus defuncti penſionarii. Item Lott. *l. 1. q. 44. num. 16.* Card. de Luc. de *penſ. d. 28. num. 12.* dicens hanc eſſe veriorem, & in Curia & in rota receptam. contra Rebuff. de *paſſ. poſſ. n. 146. alias 130.* apud Garc. *p. 2. c. 1. n. 106.* tenentem, moriente penſionario poſt principium anni (intellige anni penſionarii) penſionem integre pro illo anno tranſire ad hæredes, quam ſententiam ait Garcias in nulla apud Rotam conſideratione fuiſſe, & uſum eſſe in contrarium, Item contra Gamb. de *pot. leg. l. 8. q. 24.* apud Garc. *loc. cit. n. 110.* docentem, quòd penſio non ſoluta non transmittitur ad hæredes penſionarii, etiamſi dies penſionis ſolvenda advenſſet, imò etiamſi fructus eſſent percepti; eò quòd ſi tẽpore mortis penſionarii adhuc exſtent, & non eſt de iſis diſpoſitum, remaneant ſucceſſori in beneficio, non hæredibus defuncti. Item contra Nav. in *Apolog. de reditib. Eccleſ. q. 2.* credentem, quòd in hoc caſu nihil debeatur per titularem. apud Card. de Luc. *loc. cit.* quòd idem tenere videntur Barb. in *l. divorſio. ff. ſolut. matrim. p. 2. nu. 3. uſque ad 44.* & Caſtel. de *uſuf. c. 79. n. 17.* apud Tond. *loc. cit. n. 3.* dum tradunt, ſolos terminos maturatos transmitti ad hæredes penſionarii, v. g. ut ſi penſio ſtatuta in Novemb. ſolvenda feſto Nativitatis Chriſti, & S. Joannis, penſionarius moriatur in Februar. ſolus terminus decurſus in feſto Nativitatis Chriſti ſolvendus ſit dictis hæredibus, & nihil ex alio termino jam inchoato. Item contra Covar. *l. 1. var. c. 15.* apud Eund. Card. de Luc. & Garc. *p. 2. c. 1. à nu. 105. ad 125.* maxime *n. 120.* tenentes, id regulandum, non à qualitate & quantitate fructuum perceptorum, ſed à ſupputatione temporis, menſium nimirum